

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXIV. Qualiter deus animae sensus suos donat ut eis utatur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

CAPUT XXXIV.

QUALITER DEUS ANIMÆ SENSUS SUOS DONAT UT EIS UTATUR.

ORABAT aliquando Dominum ut sibi aliquid donaret, quod sui memoriam in ea jugiter incitaret; ad quod tale a Domino responsum accepit: « Ecce do tibi oculos meos, ut cum ipsis omnia videas, et aures meas, ut per eas omnia quæ audis intelligas; os etiam meum tibi do, ut omnia quæ loquendo, orando, sive cantando proferre debes, per illud facias. Doque tibi Cor meum, ut per illud omnia cogites, et me ipsum et omnia propter me diligas. » In hoc verbo Deus animam illam sibi totaliter intraxit et secum ita univit, ut videretur sibi quod Dei oculis videret, et auribus ejus audiret, et ore ejus loqueretur, nullumque aliud cor quam Dei Cor se habere sentiret. Quod et saepius postmodum illi datum est sentire.

Cor suum
dat animæ
Dominus
per quod illa
cogitet et
diligat.

QUALITER HOMO ELEVETUR AD INATTINGIBILEM MAJESTATIS DOMINI CELSITUDINEM.

INDE dixit ad illam Dominus: « Quanto amplius te ab omni creatura elongando eorum consolationem abjicis, tanto magis ad majestatis meæ inattingibilem celsitudinem elevaris. Quanto etiam ad creaturas per charitatem extenderis, dilatando te per compassionem et misericordiam ad omnes, tanto arctius et dulcior incomprehensam latitudinem meam circumcingis. Quanto autem temetipsam vilipendendo, infra omnem creaturam humiliaveris, eo profundius mihi immer-

geris; eoque dulcius et familiarius torrente meæ divinæ
voluptatis ineibriaberis. »

CAPUT XXXV.

QUALITER DEUS ANIMAM AD SE VOCAVIT, ET DE AMORE ET DE
PSALTERIO DECEM CHORDARUM.

CUM vice quadam Dilectum animæ suæ præcordialiter affectaret, ille qui pauperis desiderium non solum audire, sed et prævenire dignatur, dulcissima et altissima intonans voce, eam taliter advocavit: « *Veni dilecta mea ad me.* » Eratque vox Domini tantæ sonoritatis ut totum impletoret coelum, et omnes cœli angulos penetrans dulcissime faceret consonare. Intellexitque per angulos omnes quæ in cœlo sunt animas designari quæ voci Domini gratulanter conjubilabant. Anima autem sic advocata statim affuit, stans coram Dilecto residenti in consistorio valde mirabili et eminenti, cuius columnæ anteriores ex electro erant, capitella habentes de smaragdo, et bases de sapphiro. Per smaragdum exprimebatur viror æternitatis; per sapphirum, excellētia divinæ nobilitatis. Amor vero in specie virginis pulcherrimæ consistorium circuibat decantans: *Gyrum cœli circuivi sola* ¹. (Eccli. xxiv. 8.) In quibus verbis agnovit qualiter solus amor divinæ majestatis omnipotentiam sibi subegit, ejusque inscrutabilem sapientiam quasi infatuavit, et dulcissimam bonitatem ejus totam effudit, et illum divinæ justitiæ rigorem omnino devincens et in mansuetudinem convertens, ad nostræ miseriæ exilium

Amor in
specie
virginis suos
triumphos
cantat.

1. Responsorium II. Noct. in Dominicis mensis Augusti.